

1
6
415










FREDERICI SCHERERTZII MEDITATIONES DE RECTA PHILOSOPHIA.

Quibus ad illam restaurandam verum continetur consilium.





LUGDUNI BATAVORUM
Apud PETRUM HACKIUM
cIↄ Iↄ c LXII.

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, LITTERATISSIMOQUE VIRO

D^o. JOANNI COPESIO,

EQUITI, JURISCONSULTO, SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGENSIS MINISTRO STATUS, ET CONSILIARIO INTIMO, ATQUE APUD ILLUSTRISSIMOS FOEDERATI BELGII ORDINES RESIDENTI ORDINARIO

FREDERICUS SCHERERTZIUS.

PHilosophiam Amplitudini tuæ recommendo, Nobilissime vir, rectam illam, & genuinam cœli prolem. Amari hæc

cupit ab omnibus, & protegi, omnibus exposita & benigna, originis suæ verum exemplar. Amator ejus es, sis, obsecro, & ejus protector. Scis sacrum nomen, divam virtutem, addere debeo acerbum, magnam calamitatem. Res ampliori petitione non indiget, nisi mei caussa, quem audacem excuses velim, & assumas. Non diffido, justitiæ namque consul & antistes hunc meum æquum, & honestum sermonem, quem pro veritate meditatus sum, facilè admittes. Negotium fidei geritur, qua obligati sumus omnes rerum universitati, quam intelligere volunt mortales duce hac magistra, & quæ stare ingenium docet, non titubare, non cadere. sed an fingenda alia? an mutanda facies pulcerrimæ & divinæ? Minimè. Fugiant poëtæ, & pictores illi hanc libertatem, injuriosam, & noxiam. Factor unus est, bonus, & maximè potens, colendus ille, non corrigendus. Imago operis ejus à nobis exprimenda? fiat hæc cum cura, & sollicitè. Duxit is lineas manu purissima, quæ nequit errare. Sumus ejus servi, ad omne obsequium parati. Cognoscamus artificem, sequamur veritatem, verum exprimamus simulacrum. Aliorum opinione non opus, nec consuetudine, dira etenim hæc esse solent, maligna, cœca semper, & superba, à quibus notha proveniunt, spuria, & illegitima, quæ commaculant hanc san-

ctam

ctam familiam & ad contemtum prostituunt. Liberè loquor pro justa caussa. Non exspecto obloquutorem, nec is mihi apprecandus. Congredi cum nemine volo, habuimus spectaculorum satis. Delectamentum nostrum sit tranquillitas, dum verè sapimus. Beatam vitam tranquillam dicimus meritò, quæ extra pugnas; & felicem doctrinam, ubi non rixantur homines, & sapientiam discerpunt, sed ubi uno animo hanc conservant, & instar thesauri incorruptam custodiunt & tuentur. Novimus belli furorem & damna, bona ob id abscondimus, & hanc furori exponemus? absit improvida manus. Tangunt Dei sobolem injusti, terreat hos tremendus vindex. Ita, vir Magne, apud te loquor, qui meam hanc sententiam semper laudasti, mecumque hujus gratia non paucas horas, sed & integros dies voluisti consumere. Incitasti currentem. Veneror tuam humanitatem, tuamque prudentiam valdè honoro, quod inter tot ardua, & varias occupationes, quas pro serenissimo Electore indefessus & cum gloria sustines, ad philosophiam, quæ pro scholarum saltem solet haberi ineptiis, te demiseris, nomenque tuum huic ordini immiscueris. Res pulcrè procedet, quum præsides & defensores sapientiæ ipsi philosophabuntur. Ego de restauranda recta philosophia hoc libro, quem tuæ Amplitudini humillimè of-

 mè of-

mè offero, & inſcribo, conſilium confeci. Fave huic, & ſi bonum, illud promove. Deus te ſervet rectæ philoſophiæ patronum. Scribebam Lugduni ipſis Kal. Mart Anno cIↃ IↃ c LXII.

FREDE-

FREDERICVS SCHERERTZIVS

Lectori ab omni præjudicio purgato & libero

CONSTANTIAM.

TE quoque heic alloquor, Lector. Tecum, Candide, lubentur ago, cum interprete meo fideli. Rem ipsam cognosces ex nomine, inter lacrumas fabricato philosophiæ deperditæ. Adhuc solatium, potest illa reparari. Amor exigit debitum. Id solvo pro viribus. Necessitati rerum succurrendum. Litterarum magna calamitas, tibi nota. In fundamento hostis callidus eversor.imum periculum,mox corruet totum ædificium. Vacillant omnia. res mirè agitur, sapientes qui cupiunt videri,desipiunt, & sub pulcra actione & lingua animosa atque efficaci distrahunt fulcrum, ut ludat ingenium potens ad damnum. Cadit Colossus, desinit miraculum, deseritur Rhodus. Philosophia, annon hæc miraculum? dejicitur, partes franguntur, quod restat, maculis obruitur, deficit veneratio, oracula fallunt, opinio succedit, quam superstitiosus adulator reddit venerabilem. Incerta sunt omnia? Dissentit, qui cupit. Est vates lapsus arrogantia. labuntur omnes, & sacer præco, fori orator, naturæ auxiliator, & boni pubici dominus atque curator. labuntur certè, nam fulcrum contemnunt aut negligunt superbi, vel cœci. Tu illud quæres, & tenebis sacrum scipionem. Nemo consistet sine hoc, sine recta Philosophia. Percepi damnum ipse olim seductus relligiosè. Ad me ipsum redii, divinæ bonitati gratias ago, quæ me duxit. Quid in me vidi? cohortem opinionum resipiscentia disturbandam, delendam, sapientiam adulterinam eijciendam. rectam desideravi & genuinam. Obvenit nobis tota humana, arripiamus illam, quæ optat nostrum consortium. Est vita vitæ, & anima animæ, veneremur divinam virtutem.

Dedi

Dedi consilium non primus suasor, sed aliorum probus æmulator. Consentis bone ? non dubito, propaga doctrinam, & ubique fervidè clama, ut homines serium rem agi audiant, omnia litterarum mala dependere à contemtu, & neglectu rectæ philosophiæ. Clama, diram esse opinionem dominam, & consuetudinem cæcum ductorem. Caveant sibi imposterum homines, seductor astutus semper adest, in excubiis quoque & vigiliis. Vale, & veritatem profitere semper, et ubique.

MEDI-

FREDERICI SCHERERTZII
MEDITATIONUM
DE
RECTA PHILOSOPHIA
LIBER I.

Caput I.

AD culturam ſapientiæ, Homo, tendis, generoſa eſt mens tua, pulcrum iter, Animosè perge, non retrahe pedem, juſtum namque eſt & decorum, perſeverare in bono. Cœpiſti benè, viator es in via bona, bona te circumdant. Vide, quis tecum? Virtutem comitem habes; Deus tibi dux adeſt, rectitudo, veritas, bonitas, non poteris errare. Sed attende, liberalis res eſt, quam ſuſcepiſti, animum adhibe liberum. Totus huic vacare debes, dum totam cupis. Subduc te aliquantulum corpori, ut ſine gravi onere procedas, & ſine impedimento. Divi ſunt tui ſocii, divinũ illud quod in te eſt, illis aſſociabitur. Progredere, progredere, non poteris ſecurius. Metam ſpecta, non procul abes. Tetigiſti illam, lætus rem inchoa. Ad agrum veniſti divitem & ſpatioſum, labore opus eſt, omnia etenim tibi heic ſunt pernoſcenda. Ne terreat te quod dico, ſume animum; pulcra eſſe ſolent & accepta, quæ difficultate parantur. Terram coles, & in ſudore acquires, quod te paſcet. Tolera hanc vitam prudenter, melior virtuoſis non conceditur in hac mortalitate. Sed non fruſtra laborabis. Mercedem habebis magnam, quam tu ipſemet

tibi procuras, Deus parat; colligit hic singulas sudoris tui guttas, tanquam pretiosas gemmas, ut coronam conficiat ex his tuo capiti sua manu imponendam, sicq; ex Philosopho rex fies, splendidior Ægyptiis, qui ab hominibus constituebantur, tu ab *ipso* Deo, & in hoc gloriosior certè, dum certior, te *sola* virtute ad hanc dignitatem pervenisse, illos sæpius ex cœco eligentium favore. Sed rursus ad agrum. Rerum colendarum in hoc multitudo, magna varietas, nihil intactum relinques, facultas tibi data est tractandi omnia, & ingenium. Prudentiam adhibe, ordinatæ res omnes sunt, & justa serie dispositæ. Nihil, quod naturâ distinctum est, tu mente confundes. Scias hoc velim, non creaturarum ordinem aut divinæ providentiæ statutum debes mutare, sed hoc unum, tuas cupiditates. Has remove. Admirare devoto corde quæ vides, perpende cuncta sedula mente, & uti in se sunt disce & doce. hoc tuum erit studium ad erudiendum inscios, ad illuminandum cæcos, ad hominum salutem. Sic implebis officium boni viri. Improbus omnis ille, qui sibi solum sapit. Verùm non melius poteris, quam si liberè. Gaude, nil obstat, liber es. Abi, experire tuam felicitatem. Elige locum ubi nil te impediat, omne institutum tuum promoveat, secessum ama ab hominibus probè remotum, nam extra hominum societatem discere nunc debes veram humanitatem. Mores indue solitudini convenientes, severitatem, austeritatem, supercilium, ut te omnes solum linquere velint, nemo impedire. Necessum est hoc. In Philosophia non decet aliter. Non cura judicia hominum, ne turbent te, tu supra hæc omnia positus es. Cogitabundus semper esto, nil age, nisi meditari, & hoc omni tempore, omni loco, quum edis, quum bibis, & siquid aliud ex necessitate tibi faciendum est. Semper

intentus

intentus ſis rebus tuis, ſic tua Philoſophia, tua Diva & Patrona te admonet, hortatur, rogat. Aperitur tibi liber, adſta, lege, ne recede, à capite ad calcem, uti loquimur, perlegendus, non datur reſpiratio. Nihil te ab hoc removeat, ſacer eſt, Dei manu exaratus, nihil te retrahat, nulla ſalutatio, ſi quæ obtinget, nullæ deliciæ, ſi quæ offerentur, nulli honores, nullæ divitiæ. Contemtum & riſus ſperne. Contemtor terræ terram ſcrutare. Sed quænam in te eſt infirmitas? Illa quæ in omnibus, qui mortalium gerunt naturam & nomen. Ideò, ut hæc dignè facere poſſis, invocandus eſt Dux tuus, totius hujus univerſi fabricator & cuſtos, ut hic tibi largiatur validam mentem. In ejus gratia poſitum eſt robur tuum. Hic creator tuus & conditor, qui te fecit & excitavit ad cognoſcenda ſua opera, te præparet, precor, ad hoc & conſervet. Age, creaturarum gloriosiſſima, philoſophare, habes ante oculos ſatis, in quo te exerceas, modò hoc veritate facias atque conſtantia.

Cap. II.

Sapientiæ cultor es lætare; illuſtre geris nomen, quod tua virtus tibi parit ad laudem. Tuere illud, ut vera hæc tibi contingat, & durabilis. Bona tibi nunc naſcitur occaſio, capillata. Age quod agendum eſt, arripe illam, poſt hæc erit calva. Agnoſce & conſerva tuam dignitatem. In latiſſimo mundi campo poſitus es univerſi hujus dominus, ſubjecta tibi ſunt omnia; Imperator es, ritè exerce imperium. Amplam obtines juriſdictionem, amplam adhibe mentem. Omnem terram, totum mundum, cœlumque & quicquid in his eſt, poſſides. Dives admodum es & locuples, pondera has tuas divitias, expende tuam hanc felicitatem. Plenus incede lætitiis, quia

Deus tibi suæ potentissimæ auctoritatis hanc magnam tribuit partem, teque ad id elegit opus, ad quod non nisi divina requiritur natura. Aude, cælesti ejus virtuti nihil similius, nihilque carius hoc studio. Hoc omnia feliciter, & dignè perages. Non puta, te sortis esse abjectæ, ideò quod solus habites & in eremo, quodque homines te irrideant, vinces hæc tua mente. In palatio habitas, quod ipse Deus exstruxit, ubi cum Diis conversatis, cum sacris illis laribus, qui dum videri non possunt, te docent, visibiles hos mundi satyros fugiendos esse, horumque vocem tanquam barbarum boatum non attendendam, aut tolerandam; in palæstra etenim patientiæ es constitutus, utque heic in te ipso quoque philosopheris tam parvi, quam magni mundi perscrutator & doctor. Natura omnium rerum tibi tradita est, ut hanc consideres, necessum est, ut & te ipsum. Dum vero ita studes, duas vides insignes, unam producentem, alteram productam, creatorem & creaturas. Nota compendium; dum unam tractas, alteram excolis, dum creaturas spectas, creatorem invenis, ita hujus mirabilis potentia latet in omnibus. Unitus amor Dei est cum creaturis, & indissolubilis horum conjunctio. In omnibus, quæcunque scrutaris, tibi divini hujus opificis apparet manus luce circumdata splendidissima, quæ te illuminat, instruit, corroborat. Sacra apparitio, revelatio solemnis, quæ magnâ die tibi accidit, sensus tuos omnes excitat, convocat, & ordinat ad cognoscenda singula mysteria, quæ creator omnium sibi & rebus creatis indidit. Exhibe illi omnem pietatem, flexis genubus, flexoq; corde procumbe, & tuum hunc divum apparitorē humillimè roga, ut tibi ejus sanctissima majestas clementissimè concedat exosculari suam mirandam manum, sub hujus protectione securus vives, tutus ab omni

periculo. Animum tibi ſume, gratioſè is annuit. Benevolus enim eſt & expoſitus ad exaudiendũ mortalium preces. Exoſculare illam manum, illam tuam amicam; porrige ei oſculnm magnum, nam magna hæc eſt, comprehendens cœlum & terram; ſapidum, ut id ſentiat; purum & caſtum, nam pura illa tua eſt, immaculata mente vult coli. Quam felix es. proſit hæc tibi felicitas, in qua autem hoc unum vitabis, exorbitantiam, qnæ tibi nocebit. Terminus tibi poſitus eſt, ad hunc ſubſiſte. Noſti tuum circulum, noli evagari, extra hunc errabis. Ardens habes ingenium, cohibe flammam. Reſtat adhuc aliquid primi tui patris fulgoris in te, quo benigniſſimum Numen ſapientiæ ſuæ radium tibi impertit, utere hoc decenter. Sacræ namque hæ ſunt reliquiæ, non debent aliter tractari. Studebis maxime rectè judicare, hæc recta eſt philoſophia. Videre, audire, guſtare, olfacere, tangere, hæc in te ſunt ad acquirendam ſapientiam inſtrumenta magna & valida; adhibe hæc cum curâ, pura & integra, ut rectè omnia, prout in ſe ſunt, intelligas, nam ita res omnes volunt addiſci. Non eſt in rebus vitium, ſed in animo tuo.

Cap. III.

QUamobrem, ut ad rectam ſapientiam pervenias, proſpice. Ne te ſeducat calliditas aut imprudentia ſeculi, quam olim ſæpius vidiſti. Diſcernere te oportet vera à falſis, ſi rectè ſapere cupis. Nonuna quævis ſapientia heic valet. mundus multas jactat & varias. Una verò ſaltim eſt vera, cui tu operam navabis. Rectè incede, offendes hanc in via. Non deflecte neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, recta perge. Saluta hanc divam, præ te eſt, & obſecra illam, ut tibi faveat, benigna eſt, placida, parata, potens, non denegabit tibi id, quod

ab illa petis. Sed non audes ? ero ego tuus pararius. Salve, ſalve, magna Domina, illuſtriſſima proles, cœli filia, mundi altrix, animi noſtri nutricia, ſis mihi, quæſo, veniæ larga, habeo aliquid quod tuæ celſitudini dicam, audi mea verba, amplificare volo tuum imperium; accedit mecum aliquis, bonæ mentis ſocius, tuæ pulcritudinis æſtimator, tecum habitare cupit hic homo, nam ita pulcra es, ita amabilis, ita mortalibus benigna, accepta, & neceſſaria. Et mox ille audacior factus mea audaciâ : Salve, O pulcerrima, ſapientiſſima Dea, aſſume me in tuum contubernium, ſi tuæ celſititudîni hoc placet, ſum homo qui ſapere cupit. Eleganter loqueris, amice, reſpondet illa, & uti decet veræ ſapientiæ ſtudioſos, non alios deſidero diſcipulos. notanda hæc hora, quæ te mihi jungit, amari cupio, ſed paucos habeo amatores. indecora & frequens res eſt, ad meretrices itur, ad proſtibula, quæ, neſcio quo fuco, homines ad ſe trahunt, totoſque occupant, ut hi non aliter velint, niſi delectari ſpurcitiis, hacque ſimul corripiantur firmiſſima opinione, dicam cœcitate, nullum amorem in mundo aut honeſtiorem, aut veritati magis conſentaneum eſſe hoc ipſo, ſeque eſſe veras veræ ſapientiæ magiſtras. Sed ô prudens tu ! qui fugis iſtas ſeductrices. Beatus tuus conatus, tuaque cupiditas laudabilis quæ te in veram deduxit viam, ad me, quæ tibi omnem favorem promitto, magnos Deos tibi conciliatura adjutores. Quicquid inchoaveris, nunc benè procedet. Veni, numerabo te inter ſapientes, nomenque tuum inſcribam libro æternitatis, quem Deus deſtinavit generoſis ingeniis. Venio, inquit lætabundè ille meus, potentiſſima, venio animum meum occupaſti, ſum tuus, voluntatis tuæ diligentiſſimus executor. Beatus ego, & ut dicam id quod in me ſentio, totus illumi-

illuminatus, & quidem? Solem video novum, magnum, penetrabilem, efficacem. Gaudeo, è tenebris namque ereptus in verâ constituor luce. Rectè judicas, Homo, beatissime mortalium. Duos habes vitæ tuæ auctores, Deum & hanc Deum Ille facit quod vivas, hęc pariter quod benè vivas. Utrique fideliter adhære. O Æterne! conditor gratiose, tuum est benefacere mortalibus. Tu auctor & conservator sapientię mortalibus concessisti hanc immortalem dignitatem, quod sint tuæ divinæ virtutis in hac infirmitate fausti imitatores, inque corruptibili hoc corpore divinitatem quandam monstrent admirandam, sicque à communi hominum genere separati Deorum in hac terra constituant cohortem. Tibi dicata sit laus omnis & gloria. Et Tu, O divini numinis pia æmulatrix! tibi debetur honor, & cultus. O Præstantissima! tuum est de opus divinis humanisque verum invenire, à te nunquam recedit justitia, pietas, religio, & omnis alius comitatus virtutum consertarum, & inter se cohærentium. Tu doces colere divina, humana diligere, & penes Deum imperium esse, & inter homines consortium. Venerare hanc magistram, Homo! scholam aperit, in qua dum discipulus es, cæli, mundique sis contemplator.

CAP. IIII.

UT verò benè hujus capias doctrinam, mores indue aptos. Philosophia feros non tolerat. Moratum te optat hæc morata. Rege te ipsum magni & universi istius regiminis dilucidator. Ethicam tibi propone litteratam vitæ tuæ normam. Et quidem ante omnia Cteatorem & conservatorem omnium rerum semper venerare, nec quid aude, quo ipsius sanctissimam Majestatem offendas. Vindex est gravis injuriæ & severus. Fuge illius iram, quæ intolerabilis.

II. Te

II. Te ipſum vince, nulliſque inordinatis affectibus, qui quotidiè adverſus nos mortales inſurgunt, quic, quam concede. Habenam tibi ad id datam noſti, rationem, hanc ritè adhibe.

III. Veritatem tibi propone verum & unicum laboris tui ſcopum.

IIII. Nihil pro vero admitte, niſi quod certè & evidenter verum eſſe ipſe cognoveris.

V. Temeraria hominum judicia & reptehenſiones, ſi quas forſan audieris, non cura, ſola tua conſcientia tuus admonitor, ſecundum hujus conſilium procede.

VI. Conſtanter & tenaciter propoſito tuo adhære, & indubitanter in peragendo perſevera, ut uno tractu abſolvas, quod inchoaveris.

VII. Si forſan in via es non trita aut dubia, recta tende, non poteris melius, evitanda ſiquidem ſunt omnia devia.

VIII. Cogita ſemper & meditare omni cura, tota mente & integta, quæ ſe huc omni fervore convertat. totus præſens eſto rei conſiderandæ; nil, nil cura niſi hanc.

VIIII. De omnibus rebus, quas olim addidiciſti ſemel in vita tua dubita, ut ita omnia præjudicia & ſervitutes deponas, quæ hodiè communiter ingenia occupant.

X. Gradus ſcito philoſophandi & methodum. A rebus ſimpliciſſimis inchoa, & quæ facilè poſſunt cognoſci, & ſic porrò per ſcalas ad magis compoſita & difficiliora progredere, hæc omnium optima eſt ratio, tentata ab optimis quibuſque antiquioribus ſapientibus feliciter.

XI. Difficultates, quotcunque obvenient, diligentius nonnihil pondera, examina, in certas partes diſpeſce, perſpice, & exactè tolle.

XII. Vide

XII. Vide ut purè ſemper res tractes, hoc eſt, animo probè purgato, & qui nihil admiſceat. Hærent enim in te multa, quæ naturale illud lumen, quod in te eſt, valdè obfuſcant & corrumpunt. Ipſi menti annata eſt quædam falſitas & pronitas ad errandum, eſtque inſtar ſpeculi inæqualis & non benè politi, quod ex mala ſua figura res, quas refert, immutat & malè proponit, haut ſincera ad veros rerum radios excipiendos. Et vita tua inter ſuperſtitioſos & idololatras à prima juventute fuit exculta. Purga purgandam. Nihil admiſce. Scis enim quantum nocuerit Reipublicæ ſophiſtica illa, empirica, & ſuperſtitioſa philoſophia.

XIII. Jus habes & dominium ex divina donatione tibi conceſſum. Fac ut prudentes dicant, te ſapienter adminiſtrare concredita. Terreat te mala fides multorum. Noſti exempla, vidiſti ſcandala, ſpectaſti damna Vigila ubique. Circumſpice, ſeductor à latere, retroſpice, hoſtis à tergo, introſpice, malignus ſocius in animo. Cautè evita periculum. Potes.

XIV. Non faciat te ſuperbum hæc tua dignitas aut poteſtas. Humiliter de te ipſo ſemper ut ſentias, omni ſtudio annitere, nam facilè homines in errorem prolabuntur, quum de ſe ipſis judicant.

XV. Senſibus & imaginationibus te ſedulum præpone judicem, ne tibi ſint damno, quod ſæpius contingit in vita. Scis ſenſuum culpam. aut enim deſtituunt nos, aut decipiunt. Nam certum eſt, plurimas res eſſe, quæ ſenſus etiam rectè diſpoſitos, nec ullo modo impeditos effugiunt, aut teſtimonium & informationem ſenſuum fieri ex analogia hominis, non ex analogia univerſi, uti decet. Quare ſenſus, quum tam valdè errent, nequeunt eſſe rerum cognoſcibilium menſura. Ab intellectu vera

orditur philoſophia, non à ſenſibus.

XVI. Non placita & opiniones aliorum ſequere, ſed naturam, hæc una tua eſt bibliotheca, quam Dei manus compoſuit & ordinavit.

XVII. Errores tuos dum abdicare cupis, vigila, & cave ne illos permutes, nam ſic manebunt.

XVIII. Vt certa tandem ab incertis diſtinguantur, & incerta per certa demonſtrentur, verum philoſophandi adhibe modum.

XVIIII. Non vagis & debilibus conjecturis, ſed firmis & evidentibus argumentis uti debes. Non bellé & probabiliter opinari, ſed certè & oſtenſivè intelligere.

XX. Tria in animo tuo ſibi valdè ſunt finitima: Intelligere, credere, opinari. Animadverte. Intelligis, id quod ratione comprehendis, credis id, quod authoritas tibi perſuadet, opinaris dum exiſtimas, te ſcire quod ignoras. Intelligis? rationem habes. credis? obſequeris. opinaris? erras. elige nunc id, quod tibi conducat.

XXI. Quum omnis cognitio non ſolum fiat per ſimilitudinem, ſed & ipſa ipſius rei ſit ſimilitudo, videndum ſedulò eſt, ut res perfectè cognoſcatur. Cognoſcitur autem res ita, quum, ſicuti eſt, verè attingitur.

XXII. Primas omnium rerum cauſſas inveſtiga, & ex his reliqua diducere ſtude.

XXIII. Obſerva, principia partim clara eſſe debere, & evidentia, ita ut mens tua ea attentè capiat, & deprehendat, vera illa eſſe maximè, & apertiſſimè hoc videat, partim ab his omnia alia ita dependere, ut cognoſci quidem illa poſſint non cognitis iſtis, ſed iſtæ non viciſſim abſque illis.

XXIIII. Poſtquam in principiis iſtis tam probè vigilaveris,

laveris, ita, velim, omnia digeras, ut ne minimum in philosophia tua inveniatur, quod non ſit maxime manifeſtum

XXV. Si forſan quædam non poteris attingere, noli exinde ſtatuere, id ex arte tua eſſe impoſſibile. Perſevera magnanimus. Artis tuæ infirmitatem, dum querelis uteris, in naturæ ignominiam vertis. Laborem non fuge Deorum amicus. Naturæ obſcuritatem, vitæ brevitatem, ſenſuum fallacias, judicii imbecillitatem, experientiam difficilem, vagam, incertam, & infirmam ingenio ſupera. Penetra ad intima & fulcrum naturæ.

XXVI. Meditationes tuas, quum aliquando has publicæ conſecraveris utilitati, ita ordina, ut mentis & rerum arctum ſervetur conjugium, fertile illud, veræque prudentiæ ſeminarium. Nam notiones mentis malè ac temere à rebus abſtractæ, & vagæ nec ſatis definitæ & circumſcriptæ, denique multis modis vitioſæ faciunt, ut omnia ruant Stabit Reſpublica litteraria illo conjugio.

XXVII. Impetum ingenii tui cohibe, non ſectam condere ſtude, non vetera proſternete aut deſtruere, ſed hæc emendare & perficere.

XXVIII. Non methodi compendium quære, naturæ ordinem ſequere, atque conſerva; non ſpecioſam ſermonis tui formam excogita. Sit fluidum illud & naturale orationis genus.

XX VIIII. Fiducialiter de rebus pronuncia, ut cognoſcant homines, te certum eſſe doctorem.

XXX. Conſideratè & poſt longam deliberationem de rebus pronuncia; non tam facilè, ne ſcientiam reddas ſic contentioſam & incertam, nec ſemper in deliberatione hære, ne inquiſitionem introducas vagam & ſine termino. Intellectui danda hæc eſt cautio.

XXXI. Doctrinam contentiosam planè rejice. Non disputa, sed experire. Aliter sentientium dogmata ne recites, suadeo, tu tuam probes, & corrobores.

XXXII. Non vulgi quære applausum, sed sapientum judicium.

XXXIII. Non famę & nomini tuo stude, sed scientiarum & artium utilitati.

XXXIIII. Justa & apta ætate ad philosophandum accede, ut ritè hoc facere possis, & utiliter.

XXXV. Ad cognitionem Dei & tui ipsius semper adspira, quæ si probè, quantum in hac mortalitate tibi concessum, cognoveris, verus, probus, & rectus eris philosophus.

XXXVI. Firmiter philosophare, & ita, ut certus ipsemet sis, te in omni studio ratione quam optimè uti.

Hos mores tibi ostendi in hac tabula, & certa serie. Dispone te ipsum, & obsequere, suasor fidus est, qui hæc non hausit ex philosophorum placitis, sed ex ipsa natura, hujusq; bona interpretatione, quiq; per tot confusa rerum dogmata, & scholarum turbas tandem ad veram scientiarum instaurationem pervenire didicit, novis indutis his moribus, qui liberum hominem efficiunt non mancipium, religiosum non superstitiosum, naturæ contemplatorem, non dogmatum, veritatis sectatorem, non communium opinionum æmulum, rectæ Philosophiæ studiosum, qui hoc unum valdè cognoscere debet, nunquam ad veram pervenire posse sapientiam nisi rejectis istis ingeniorum idolis, quæ mentem opprimunt, & à verò impediunt.

Cap. V.

RAtione opus eſt, ut vides, eaque recta, quam exercere debes, & probè regere. Impellat te præſtantia hujus & neceſſitas. Dedit hanc Deus hominibus tanquam maximum bonum, eiſque præ omnibus animalibus proprium, quo hæc antecedunt, Illum ſequuntur. Cætera, quæ habent, ea illis cum reliquis animalibus ſatiſque communia ſunt. Attende ad rem. Valent homines? & leones; formoſi ſunt? & pavones; veloces ſunt? & equi; corpus habent? & arbores; impetum & motum voluntarium? & beſtiæ & vermes; vocem habent; ſed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem, nobilioremque luſciniæ; denique rectam habent rationem? hanc ſoli habent. Æſtima hoc bonum, & venerare. perpende, hanc partem eſſe divini ſpiritus in corpus humanum merſam, unum, verumque bonum mortalium, ſi hoc non habent, cæteris omnibus, quæ poſſident, non poſſunt uti. Propter hoc bonum homines vocantur boni, non propter pulcrum corpus, non propter honores, non propter divitias. Obſerva ſimile. Navem bonam non argenteum, aut aureum efficit roſtrum, aut tutela ebore cælata, aut opes quas vehit, ſed ſtabilitas & firmitudo, & junctura aquam ſemper excludens, quæque gubernaculo paret, & vento conſentit. Ita gladium bonum nominamus non propter baltheum deauratum, aut ob vaginam gemmis diſtinctam, ſed quia benè ſecat, ſubtilis eſt & acutus. Sic regulam laudare debes non formoſam, ſed rectam. Bonum itaque hominem bona efficit ratio, recta illa, & cui fidere poſſumus. Utinam deſinant illi, qui malitioſè, aut improvidè hanc negligunt vel corrumpunt & erroris magiſtram hanc faciunt injurioſè & in

blaſphemiam creatoris. O utinam deſinant. Aſt non ita exclamo, ut meo ſermoni accedat elegantia, videarque rhetor, ſed ut ingenio ſuccurratur, & corrupto litterarum ſtatui. Recedite, erratum ſatis eſt, mortales. Defendite veſtram gloriam. Hærere vultis in veteri? eſto. Non placet vobis divinum illud, quod in vobis eſt, aut negligere illud vobis perſuadet arrogans veſter animus, aut tyrannus ille imperat conſuetudo; vos ſubditi & mancipia. manete in vinculis, volenti non irrogatur injuria.

Sed quid eſt bona ſive recta ratio in homine? Explicabo tibi hoc, & dicam. Et primò quidem, ne te ſeducat ad errorem ea, quæ huic attribuitur, bonitas ſive rectitudo, ut putes, expertem hanc ideò eſſe peccati illius, quod ex primo parente in nos traductum, quod quibuſdam contigit qui perverſi Socini ſcholam frequentant, nota, rationem rectam dici, quod, dum ratiocinatur & judicat purgata ſit ab omni idololatria & ſuperſtitione, libera ab omnibus præjudiciis & affectibus. Memor eſto morum illorum, quos tibi mox enumerabam, nam eò res omnis recidit, habebis illud in te bonum, cuſtodi hoc benè, & cura ut ritè officio ſuo fungatur. monitum ne contemne. Ne tibi hoc excidat. Si hoc non retinueris, infauſtus eris philoſophus. Deinde ut ad rei hujus pervenias juſtam notitiam, conſidera intellectum, qui in te eſt, qui partim res contemplatur & intelligit, ut modò ſciat, quæ ac qualis cujuſque rei ſit natura, proprietas, operationes & hujuſmodi alia, partim res intelligit & apprehendit, ut id, quod cognoſcit, agatur & fiat, omniaque examinat, deliberat, quomodo hæc fieri poſſint. Ibi nuda ſaltem rei cognitio ſpectatur, heic majus quoddam ſtudium, deliberatio, & judicium quid ſit agendum, & hoc voluntati aliiſq; facultatibus inferioribus præſcri-

præſcribit. Ibi intellectus contemplatur, heic operatur. Porrò inveſtiga illud, circa quod intellectus occupatur, & invenies aliquod initium, & poſtea quiddam quod concludit, quod ſequitur, rei eſſentia & veritas. Initium verò dat tibi propoſitio per ſe nota, cujus veritatem per ſe ex natura tua cognoſcis, modò percipias terminos. Conſideras & exactè evolvis, ne minimum quid omittis, concludis tandem quum enuncias, & ex principiis deducis, per ratiocinium, id quod ſequitur, cujus cognitio non ex ſola verborum cognitione provenit, ſed ex diſcurſu. Et ex principio iſto concludit intellectus tuus adiutus ſolo lumine naturæ, nam nec revelatio, fides, aut gratia heic ſe volunt immiſcere, natura hominis nunc libera eſſe debet, & à nulla majeſtate coacta, cujus exempla ſinceriorum Ethnicorum philoſophia abundè ſuppeditat.

Credo te ſic facilè intelligere, quid recta ſit ratio. Non opus eſt ulteriori explicatione, nam verba dilucida ſunt & perſpicua, fundata. Sequitur enim ex his, quæ dicta ſunt illam eſſe naturale judicium intellectus, ex principiis, quæ nobis naturâ ſunt cognita, factum ſecundum legem & lumen naturæ, veritatis naturalis fontem & originem.

Putas itaque in te eſſe virtutem? tibi certò perſuade, hanc eſſe primam & pręcipuam, imò omnis tuę vitę unicũ decus, & fulcrum. Et quid virtus? illud quod habes, acquiſitum, quod poſſides, laudabile & quod cum recta ratione convenit, ἕξις κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, uti verè doctus Ariſtoteles Nicomachum ſuum in moralibus docuit. Hic in te eſt, norma menſura & regula omnium illorum, quæ ſcire cupis & agere. Quicunque hoc negat, is omnem evertit naturam, & doctrinam, dumque in his, quæ naturam ſpectant, ſacrum quoddam docet & novum in homine judicium, indecenter maximè, & indoctè ſe proſti-

tuit:

tuit superstitiosus adulator, quique confundit & commiscet, quæ in æternum distincta manebunt. intelligis, credo, meam mentem. Nam gratiæ opera operibus naturæ, lumen fidei lumini naturæ opponere sapientis non est, aut legem divinæ scripturæ legi naturæ, quam inscriptam esse cordibus hominum ipse docuit magnus Apostolus. Omnis scientiarũ numerus dividitur in unam divinam, quæ æternæ salutis magistra est, & in reliquas humanas, quæ ad intelligendam & conservandam naturam universi adhibentur. Illa suam sibi habet destinatam sedem, ex qua non est detrahenda, sacra obstat manus; & hæ collocatæ in inferiori æternæ providentiæ theatri parte, à loco sibi dato non dimovendæ. ludus enim variandus non est à spectatore. Sanè multæ rixæ & altercationes & scandala desinent, si divina scientia non immesceatur humanis, & divina auctoritas humanæ rationi, quæ obedire debet, dum illa imperat. Divina scientia attendit semper ad Dei eloquia, humana ad naturæ dictamen, quam Deus ideò fecit, et ita ex se cognoscendam semel præparavit. Quicunque rectè cupit philosophari, soli naturæ debet incumbere, solaque ratione procedere, ut simul demonstret, quanta industria hanc divinam suam partem excolat, et quanta vis huic insit, si justè adhibeatur, quod vix videre potest, quum divina illa interponuntur oracula, quæ hanc jubent silere. Ratio humana in naturalibus sibi relinquenda est, sed hac animadversione, ut probè dirigatur, quod satis apparet ex regimine illo ingenioso, subtili et perspicaci, rebusque maximè convenienti multorum doctissimorum hominum, quos vetus protul t ætas, et quoque recentior, et quibus purior placuit philosophandi modus, & verus. Et dirigenda sanè ratio est, n m suos hæc habet nævos, qui emendandi. Etenim nolo,

nec

nec possum aut debeo statuere aut docere, rationem ideò dici in te rectam, ac si neutiquam possit errare, quo modo nulla in hominibus foret. Manebunt siquidem errores, dum hæc mortalitas, nihilque heic perfectum datur ex omni parte. Attamen jus mentis, quod homini divinitus concessum est, exercere apprimè debes, prout fidelem decet ministrum. Judex constitutus es naturæ, veri defensor, instructus magna virtute & potentia, æquitatem administra, vide et cognosce caussam, æquã semper pronnncia sententiam, providam & diligentissimè curatam, sapienter conclude. Interpres es legis, ejusque præses, injustum quod est, planè evita. Officio tuo fideliter fungere. Rectam adhibe rationem, ut rectè judices. Rectus eris index, dum hæc in te recta.

CAP. VI.

QUum itaque hæc res tam præstans sit, & necessaria, Ars exinde constituta est, quam quidam Veterum Dialecticam vocarunt, Democritus, qui tres libros sub titulo Λογικῶν referente Diogene Laërtio scripsit, peripatetici postea ac Stoici omnes logicam, quæ duo eadem esse ipsum examen, & ex hoc Plutarchus scriptor optimus libro primo de Philosophorum placitis docent. Ne disputes tecum, rogo, quodnam ex his duobus magis debeas eligere vocabulum, nam hoc studiorum genus planè est inutile, & damnum affert, multis scholis detrimentum, ingenio impedimentum, remoram, & ad devia calcanda potentem seductorem. Ad rem ipsam semper propera. Dum dialecticæ operam navas, logicæ studes. Abjice inanem vocabulorum curam, & otiosorum criticam ne sectare. Vita tua brevis, tempusque ruit irreparabile. benè

hoc impende, & utiliter. Subtilitati aut acumini non in margine incumbe, ſed in pagina, heic auguſtius eſt ſpatium, ubi res ipſæ. Multæ ſunt, quæ plura quam unum habent nomen. Conſule Grammaticam. quid ſunt mas & vir, fœmina & mulier, domus & ædes, gladius & enſis, ſermo & oratio, margarita & unio, crinis & capillus, ruſticus, & agricola? unum æquipollet alteri, dialectica logicæ, & hæc illi.

Sed quem audio? Platonem, ſenem venerabilem, qui in ſuo Sophiſta de hac Arte pulcrè ratiocinatur, dum illam vocat τῆς ψυχῆς πρὸς ἑαυτὴν διάλογον. Ratio heic conveniunt & oratio, λόγος καὶ διάλογος. Obſerva modò, quam pulcrè tibi hic doctor rem ipſam monſtret in nomine. Anima dum ratiocinatur ſecum loquitur, ſe ipſam interrogat, reſpondet, affirmat, aut non affirmat, concedit & negat. Unde intelliges illud, quod hic ipſe Athenienſium Profeſſor libro ſeptimo de Republica ſcripſit his verbis: νομοτεθήσεις δὴ αὐτοῖς ταύτης μάλιστα τῆς παιδείας ἀντιλαμβάνεσθαι ἐξερωτᾶν καὶ ἀποκρίνεσθαι ἐπιστημονέστατα οἷοί τε ἔσονται. Legem ferendam eſſe ſuadet, maximè diſciplinam amplecti, ut interrogare atque reſpondere ſcientiſſimè poſſint. Eum verò qui interrogare ſcit & reſpondere, quid tu aliud vocabis quam dialecticum, ita ille ipſe auctor quærit & reſpondet in Cratylo. Quemadmodum autem is, qui interrogat id cupit ſcire ex altero, quod ad rei cognitionem ducat & veritatem, & is qui reſpondet eò allaborat, ut interroganti ſatisfaciat, eumque erudiat; pari modo anima in hoc colloquio procedit, & à ſe ipſa ad interrogata expoſcit reſponſum, ut rem cognoſcat in ſua vera eſſentia, ad quam penetrare deſiderat, dum quærit. Elevandum illud maximè eſt dicterium quod apud plebem non niſi illiberaliter exercetur: Interrogando erudior. nam haut melius, aut felicius doctrina ac-

na ac-

na acquiritur quam per hoc commercium, quod instituitur per animæ solitarium discursum. Agit cum se ipsa de re ponderosa, non timet defraudationem, seipsam decipere nequit generosa, nec intendit, sibiipsi admodum fidens, ne imprudentiæ vitium incurrat, ad creatorem provocat gratiosum, & ne primi parentis lapsus, qui omnes hæredes violat, heic errans cadat, divino robore adjuta se stare sperat, & credit.

Memorabile heic vides colloquium. considera porrò, quænam sint in illo maximè spectanda, & in quibus totum consistat. Invenit aliquid & disponit, hæc duo perspice, & illis, quæ mox sequentur, aures præbe. Invenit dum de argumentis est sollicita, dumque in illud inquirit cujus vires est, vel in illud, quod existit ex caussis; vel illud in quod subjicitur, aut adjungitur; vel illud quod à re dissentit modo diverso aut opposito, quo quid aliquid refert, aut adversatur, aut contradicit, aut auffert; vel in illa, quæ inter se comparantur, uti paria, aut imparia, similia aut dissimilia; vel in nomen, idque varium, ejusque interpretationem; vel in illa, quæ distribuuntur; vel in illa, quæ rem definiunt aut explicant, aut de illa testantur. Disponit, quam de his omnibus judicat, & singula argumenta ordinat, ut argumentum de argumento enuncietur ad discernendam veritatem, & falsitatem, ut plura enunciata conjungantur ad intelligendum, quid sequatur exinde, vel quid non sequatur, & ut varia enunciata conjungantur ad distinguendam methodum, an ordinata hæc sit vel confusa, ex qua dispositione profluit judicium, & magnum commodum. Etenim paratur sic homo ad multa, ad exercitationes, ad sermones, & ad scientias. Modum habet de omni proposito facilius argumentandi, & dum aliorum audit opiniones, non ex alienis, sed ex suis

doctrinis colloquitur cum illis, discutiens omne id, quod haut benè dictum, quumq; scire cupit, sic conspicit & verũ et falsũ, quos usus Aristoteles quoque docuit in suis libris Topicis, aut Eudemus ejus auditor, cui hi à nonnullis adscribuntur, & ante hos Plato longè efficacius & perfectius, quique hunc adhuc proponit, certè magni momenti, purgari ita posse animum à falsis opinionibus, quod officium celebre est Philosophi in anima, quemadmodum medici in corpore.

Propterea Logica sive Dialectica magistra est vivida & valida rationis docens colloquium & discursus, quos variis nominibus, propositionum, exemplorum, enthymematum, syllogismorum, methodorum, divisionum & definitionum indigitantur. Attende sedulò, hæc rationis actus sunt & instrumenta, quibus omnis res, omnisque scientia, de qua vel cogitas, vel disseris, vel scribis, utitur. Dic mihi scientiam, quæ his non indigeat instrumentis. Arti rationis primus dandus est locus, et meritò extollenda semper edocta mente, quæ cognoscere prius debet laudandam. Nil præteri, ut totam intelligas, magnæ structuræ, quam per labores tuos paras, solidum fundamentum. Perspectum hoc tibi est? ne minimum prætermissum? nunc celebra hanc pulcram, & potentem. Quam vile est & irridendum, laudatorem habere, qui virtutem aut naturam rei non intelligit, sed saltem conjicit. A doctis laudari certum est, justumque præconium.

Cap. VII:

QUam ob causam ut plenius intelligas hanc magnam Artem institue apud te ipsum talem, quem paulò ante indicavi, sermonem, & animam tuam destina ad hoc colloquium. Quære tunc ex illa id, quod scire aves, &

respon-

reſpondebit, age cum te ipſo, ipſe naturæ fidus & providus miniſter. Sit ſola illa tua, nec impedita. Secede in angulum genius doctrinæ, ego procul idem tentabo mecum diſſerens ſub tecto piæ mentis.

Recta ratio quam meritò laudant terreſtres, & cœlites quoque, celebrem habet ſedem, & illuſtre domicilium, hominem, qua creatura nec cœlum, nec mundus pulcriorem vidit unquam, aut videbit, & natura memor ſui hoſpitis divini illius & pretioſi, incitat hunc ad opus quoddam ſplendidum, ex quo eluceſcant auctoris dignitas & virtus. Naturâ ratiocinaris, ô homo, qui ibi ſedes, ſanctum animal, & umbram levem hujus tui ſplendoris gerit illud, quod ſimile habet nomen, ut in omnibus, quæ vos habetis, tua pateſcat excellentia, & tu dicaris divinum, & perfectiſſimum. Tu homo ratiocinaris, & omnes homines, ſupremus & imus, nobilis & plebejus, dominus & ſervus litteratus, & is qui litteris haud eſt imbutus, conſul & civis, & quod ille in curia, hic facit in ſua domo, cujus rector & curator hic eſt, quemadmodum ille civitatis. Et in curia quidem aliquid video, quod me valdè inſtruit, & confirmat. Dies eſt decretorius, totus conſidet Senatus, viros conſidero omnes, quotquot adſunt, patriæ patres, publica res adminiſtranda, ſalus civitatis promovenda, plebejus ad hæc electus eſt & patricius, doctus & indoctus, proponitur negotium, deliberatur ab omnibus, totum illud examinatur, & cognoſcitur dirigendum, conſilio opus, ab omnibus hoc exigitur, omnes reſpondent, ſuadent ſinguli, unus ex ſua arte ſubtiliter, alter vi ſola ſuæ naturæ acutè, uterque cum ratione, & cum judicio, hoc ſi probum, Senator laudatur, non patricius propter vitæ ſplendorem, non plebejus propter humilem originem, non doctus, quod artibus ſtuduerit, nec contemnitur.

temnitur indoctus quod has non didicerit. Uterque salutatur prudens, quo nomine ipsi nullum dari potest augustius. Et qui sola naturali ratione hoc efficit, aut meretur, annon in primo locandus subsellio? atque in populari regimine quam benè procedit sæpius res communis? Natura suasit societatem, hominesque duxit ad consortium, & ut illa vigeat, & conservetur, præcipit, & juvat, jure ideò donata, quod sacratissimus Imperator Justinianus in Jurisprudentia sua illud nominat doctissimè; quod omnia animalia docet. Ast eamus ex civitate ad agrum, ubi inter boves & sues ratiocinatur rusticus, infimæ sortis homo, & quem pro ludibrio habere solent illi, qui altius sunt collocati. Est etiam in hoc rationis usus, & magna dialectica. Quæramus ex hoc rerum, præcipuè naturalium, conditionem, proponet nobis veram physicam ex fundamento, quod attigit solo naturæ lumine ad id perductus. Interrogemus, qualis sit Solis & Lunæ & omnium siderum natura, & quid efficiant, respondebit tanquam Astrologus. Quæramus, quæ anni sit futura tempestas, informabit nos, & certius nonnihil quam is, qui Kalendarium nobis confecit & prognosticum. Quæramus, quota sit diei hora, & quodnam tempus, dicet hæc ex præscripto naturalis suæ conclusionis, & quidem hausto responso ex se ipso, quod nos ex horologio petimus.

Non puto prolixius hæc esse diducenda, sufficit enim brevis doctrina in illis, quæ perspicua in se sunt, clarè dicta, & sine difficultate. ac brevitas ab ipsis rebus nobis imponitur. Opinionum siquidem & placitorum, cogitationum, & speculationum nec numerus est nec finis. Res constat, videlicet dialecticam esse naturâ omnibus hominibus insitam, quæque se exserat variè & exerceat à se ex-

citata,

citata, præparata, & directa, vitæ humanæ unicum ſubſidium, & in omni perverſitate, quæ in hac mortalium ſcenâ ſemper & ubique agit, ſolatium & auxilium.

Cap. VIII.

VErum inquies, quum tanta naturalis dialecticæ eſt virtus, & omnibus hominibus innata, ad quid ergò conducit ille labor, quem in ſcholis adhibent diſcentes? audio præteriens ſæpius magnum murmur, & dum attentius auſculto, hæc vocabula, aut locutiones: notio prima, notio ſecunda, categoriæ & prædicamenta, prædicabilia, totum, pars, cauſa, cauſsatum, ſubjectum, adjunctum, definitio, diviſio, propoſitio, major & minor, concluſio, & hujuſmodi plura, ſtrepitum quoque & clamorem, vociferatur: oppono, reſpondeo, inſto, regero, affirmo, nego, eſt hæc contradictio in adjecto, ad abſurdum te deduco, & quæ ſunt alia horum ſtudiorum genera. Congrediuntur invicem ac ſi bellum geratur, & aures mihi interdum tremunt, ac ſi bombardarum tonitru illas moveat. Eſt ne heic gymnaſium dialecticæ? Eſt forſitan, ubi quod anima nuper ſecum ſola inſtituebat colloquium, nunc viva voce cum alio. Sed quis ille furor? qualis hæc eſt contentio? itane pervenitur ad veritatem? Audi. Ad exercitium ducenda eſt natura, & diſciplinâ regenda, & corroboranda, ad profunda nunc progreditur & maximè abſtruſam rerum ſedem, ubi ingenium non in ſuperficie amplius, ſed in ipſo ſtudet corpore, novo modo, qui lucem comparat, quæ in imò rerum receſſu mentem illuſtrat. Nunc novo inſtructus lumine laboras, nunc clarius cognoſcis illud animæ tuum colloquium, nunc ſplendidius conficitur ratiocinium, nunc ſecretarium aut ſcribam advocat natura, qui hoc conſignet, librumque conficiat,

& totum processum argutè notet, à principio usque ad finem examinet. nihil omittere debet fidus naturæ interpres, sed dignè omnia scribere, & utiliter, ut necessitate irrumpente auxilia intellectui adsint, et præsidia. Furorem excusa, nam sub hoc latet fervor, contentionem quoque, et pugnas, juvenes sunt, alacres, avidi, certant de victoria, vincere unusquisve sperat et cupit, nam militia militatur sub magno duce. Ast ne putes, me planè approbare has scholarum lites, quæ nihil asserunt, sed incerta omnia reddunt, aut destruunt, totamque philosophiam resolvunt in quæstiones, et dubitationes, qua ratione locum doctrinæ occupat disputatio, veram meam mentem tibi aperiam. Bono opus est magistro, et qui non insistit vulgari opinioni. Sit modus in rebus, ne ingenium ad excessum dilabatur, qui nunquam sine errore. Concedi possunt contentiones, ut hora conteratur, non dies, ut ingenium aliquid tentet, non agat, non tentamen substituat operi. Pugnæ hæ adjocum magis factæ esse debent, quam ad seriam vitam, quam sectantur sapientes. Verũ usum mallei non ignorare debet faber, ita nec rationis, qui ad sapientiam tendit. Contentiones, fateor, providum'te reddunt et circumspectum, ne quis te ducat in contradictionem, aut in absurdam sententiam, sed non te ferunt in veram rerum cognitionem. Non meta tua calliditas est, sed rerum veritas, quam debes addiscere. Ab sit arrogantia, nam loquar liberè de magno quodam philosopho, ejusque cultoribus. Aristoteles, et peripatetici omnes verum usum dialecticæ ideò ignorarunt, aut malitiosè et superbè deseruerunt, et magis ad addiscendam et exercendam astutiam hanc adhibuerunt, quam ad certam veramque doctrinam, et magis hac ipsa artes et scientias pervertetunt, (uti ipse magnus magister tractavit physicam) quam docue-

docuerunt. Res nititur teſtimonio. Teſtantur hanc non anni, ſed ſecula, ſcholarumque ingens numerus, in quibus non ſolum hæc ars ſed & tota philoſophia nil aliud fuit, & adhuc eſt, niſi lis & verboſa contentio, & ne quid decedat auctoritati, pompa ſuperaddita eſt negotio, leges ſancitæ, promulgatæ, tabula affixa, verba in fronte: Sic quæritur & invenitur veritas. Obedierunt cives, & rationem ſubjecerunt magno nomini. Repugnarunt quidam? ad Deum hujus doctrinæ provocavit Senatus aut ad idolum, ad diva quædam volumina, in quibus tamen multa falſa ſubſtituit ſuperſtitio, ex his addiſcitur, ex his aſſeritur, ex his probatur, ex his formantur ſermones, aut ſermonum ſtrepitus apud Græcos olim valdè familiares, uti Asclepius vetuſtiſſimus ſcriptor ad Regem Ammonem dicebat. verba ejus ſunt: Ελληνες, ὦ βασιλεῦ, λόγους ἔχουσι κενοὺς ἀποδείξεων, ἐνεργητικοὺς δὲ, καὶ αὕτη ἐστὶν Ελλήνων φιλοσοφία λόγων ψόφος. Nam poſtquam ſophiſticæ illæ ex Thracia, Ciliciaque Græciam invaſere ineptiæ, Epicuri atomi, ignis Heracliti, aqua Thaletis, Anaximenis ſpiritus, lis & amicitia Empedoclis, Diogenis dolium, & alia infinita Philoſophorum, quæ inter ſe pugnant ſemper & concurrunt agmina, omnia verborum plena eſſe cœperunt, nihilque præter ſophiſtarum ſibilos inter ſe contendentium audiverunt homines. Et hæc doctrina norma facta eſt, & regula omnium, opinioni fides tributa, ſecta condita, in qua nemo aſſumtus quamquam is bonus, qui pari docendi aut ſcribendi genere non uteretur, quod celebri contigit Homero, quem ſic injurioſiſſimè ex numero philoſophorum ejecerunt. Aſt quis hic fuit? cum commodo dicetur. Vir fuit divina naturæ indole, judicio maximè exquiſito, ſingulari rerum omnium præditus experientia, ſcrutator ſedulus, & qui nihil intermiſit, quo ad veram perveniret

ſcientiam. Ita Deorum conſilia perſpexit, hominum naturam, ſolis lumen, ſyderum choros, animalium generationem, refluum maris gremium, fluviorum oſtia, aëris diverſitatem, civitatum negotia, domus curam, omnia quæ ad bellum pertinent & pacem, ruſticos, equites, nautas, artes omnes, diverſiſſima vocabula, diverſas rerum ſpecies, lamentantes, gaudentes, lugentes, ridentes, iraſcentes, epulantes, ex quibus omnibus philoſophiam conſcripſit, quam dia ſua nobis ſiſtunt carmina. Duo etenim in hujus viri libris valdè ſunt obſervanda, unum poëſin ſpectat, & ſpeciem habet fabulæ, alterum philoſophiam, qua virtutem commendat & veritatem magnus ſub poëtę habitu philoſophus, magni Platonis ductor, & doctor, qui dum Socratem profitetur, præceptorem Homerum ſequitur, quæ veſtigia ubique in illius libris apparent. Tam potens eſt opinionum imperium, & tam communis animi perverſitas. Recognoſce, ſub quam injurioſo veritas prematur domino.

Cap. VIIII.

SEd unum adhuc dicendum eſt, quod contentiones illas & dimicationes valdè reddit ſolemnes. Machina quædam arte paratur, ac in certas partes ſtudioſè diſpeſcitur, ut ſub ſplendida forma bellum illud geratur, cui rei & magiſter præſidet, & adverſarius ſe præparat & arietem conficit, qua alterum impetat, & illud quod affert, deſtruat, nec hic ſine novo eſt ſubſidio. Nunc animoſè res geritur, & confidenter, nemo vult cedere, nec putat ſe poſſe, aut debere. Sic tota conſumitur dies, ſub prandio congrediuntur, & poſt illud, ſub cœna, & poſt cœnam, in urbe, in templo, in agro, in publico in privato, in omni loco, omni tempore exiſtimantes, in hoc veri

magnum decus, si ingeniosi credantur adversus veritatem, repertum esse artificiosum magnumque præsidium, & arma in quibus robur, quod satis superque sufficiat. In his & circa hæc omnem operam esse consumendam, non posse melius. Verùm annon quoddam occurrit nomen, quo illa machina potest describi? Est illud in promtu, valdè frequens & probè notum, syllogismus vocatur, significans justam dispositionem trium enunciatornm, videlicet propositionis, assumtionis & complexionis, recti ratiocinii processum, ubi denique concluditur rei veritas & essentia. Fateor, si moderatè ille adhibeatur, multùm hoc modò, inprimis in scientiis popularibus, posse effici, ast dum naturam scrutamur, syllogismus sæpius succumbit, illaque elabitur è manibus, nam confusius agit, & fraudem in se habet multam. Nam quanquam hoc certum, & mathematicè quidē, illa omnia quæ in medio termino conveniunt, etiam inter se convenire, attamen quum ratiociniū illud componatur ex propositionibus, propositiones ex verbis, verba autē ex notionibus, notiones verò sæpius à rebus temerè sint abstractæ & vagę, nec satis definitæ & circumscriptæ, denique multis modis vitiosæ, tota structura facilè corruit. Et dum laboramus, ut per examinationem consequentiarum, argumentorum, & propositionum rem in integrum restituamus, inaniter operam impendimus, nam in principiis hæret error, quem hoc modo haud possumus tollere. Et dum in ista doctrinæ forma verbis magis studium impenditur, quam rebus, quam plurimum & semper fermè transgreditur ad aliud negotium, quumque de re ipsa debeat tractari, disputatur de significatione vocabuli.

Quare quum per syllogismum, quemadmodum is communiter componitur, & adhibetur, veritatem rei vix pos-

ſimus. aut difficulter admodum cognoſcere, magiſque methodum ſcholæ intendat, quam naturæ, alia demonſtratione opus erit, & novo ſubſidio, videlicet inductione vera illa & emendata. Alia incendum via, quam illa vulgari, incerta & damnoſa. Non à ſenſu & particularibus ad maximè generalia tranſeundum, utque ab illis cœtera per media deducantur, qui modus compendioſus eſt, & qui ſtatim rem agit, ſed præceps & ad contentiones proclivis & paratus; aſt ita procedendum, ut axiomata de gradu ad gradum enaſcantur, quæ rem ipſam contineant, & demum ad generaliſſima benè terminata, naturæ cognita & inſita perveniatur. Nec ſimplex enumeratio efficiet inductionem. res illa valde levis eſt & puerorum, qui precariò ſic diſcunt concludere, & periculo, dum vel quis inſtat vel contradicit, ſe exponere. Graviori labore res indiget, experientia ſolvenda & ſeparanda, & per excluſiones & rejectiones debitas concludendum. Concludere benè qui cupit, hoc novo & vero uti debet ſyllogiſmo.

Cap. X.

AD hanc autem demonſtrationem addiſcendam major tibi eſt indicanda Dialectica, in qua apertè illam videas, & apprehendas, ſicque inſtructus firmiori mente ratiocineris. Matheſis illa nominatur, veterum & puriorum philoſophorum vera logica, ex omnibus artibus una & præcipua veri ſtudioſa, quæ allicit, impellit, excitat, erigit, & mentem totam in rem convertit, judicium acuit, & memoriam ſtabilit & confirmat, prima hominum ſcientia, in qua Sethus & Abrahamus inprimis excelluerunt, & ab hoc, uti Flavius Joſephus, antiquitatum judaicarum ſcriptor refert, ex Aſſyria in Ægyptum traducta, & ex Ægypto in Græciam, ubi ſummoperè fuit exculta,

culta, & magnum ſapientum produxit numerum. Thales ènim ibi floruit, Ameriſtus Mamertinus, Pythagoras, Anaxagoras, Oenopides Chius, Zenodotus, Hippocrates Chius mercator, qui quadraturam circuli, & duplicationē cubi tentavit & promovit, Briſo, Antipho, Democritus, Theodorus Cyreneus, Plato Mathematicorum Deus, Leodamas Thaſius, Architas Tarentinus, Theætetus Atheniensſis, Neoclides, Leo, Eudoxus, Amyclas Heracleotes, Dinoſtratus & Menechmus fratres, Theudius, Helicon Cyzicenus Athenienſis, Hermotimus Colophonius, Philippus Mendæus, Xenocrates, Theophraſtus, Eudemus, Ariſtæus, Ariſtarchus, Euclides, Eratoſthenes minor Plato dictus, Archimedes, Hipparchus, Apollonius Pergæus, Æneas Hieropolita, Amphinomus, Cteſibius Alexandrinus tonſor, inter rerum mirandarum artifices præcipuus, Hero mechanicus, Geminus, Perſeus, Philolaus, Plotinus, Porphyrius, Plutarchus, Poſidonius, Menelaus Alexandrinus, Soſigenes, Ptolemæus, Pappus, Philo, Diocles, Nicomedes, Sporus, Theodoſius, Diophantus Algebræ ſcriptor, Nicomachus, Serenus, Proclus, Proclus mechanicus, Priſcus, Diognetus Rhodius, & Theon, omnes amore veritatis incenſi, ſimul videntes, quam multùm hoc ſtudium exercendæ & illuſtrandæ rationi immò aliis omnibus ſcientiis quoque conduceret. Perſuade tibi hoc firmiter, utilem hanc ſcientiam eſſe & valdè neceſſariam ab omnibus ſapientiæ amatoribus adhibendam. Nam per iſtas ſolidas & veras demonſtrationes non ſolum intellectui tuo magnum accedit lumen, ſed & artes & ſcientiæ omnes, Theologia, Juriſprudentia, Politica, Medicina & tota Philoſophia, immò, & res civiles perfectius cognoſcuntur. Ideò ex illis quos enumeravi, Plato omnes ſuos libros mathematicis

ticis rationibus distinxit, neminē in Academiā admisit nisi Geometriæ peritum aut capacem, mundumque universum hoc studio, quum Deliacum duplicandi cubi problema proposuisset, incendit & inflammavit. Et ne te terreat hujus scientiæ latitudo, aut varietas, unâ Geometriâ utere, hac satis exercebis & confirmabis tuam dialecticā.

Cap. XI. & Ult.

TAndem ad efficiendū et perficiendum rectum ratiocinium, atque accuratius recognoscendum disciplina quædam requiritur, quæ notiones omnes, & cœteris communes investiget, observet, examinet, explicet, connectat, & ordinet, quam catholicam nomino, sapientiam universalem sive de ente, conclusionum ex primis principiis notitiam, scientiarum omnium parentem, nutricem, & magistram, alii metaphysicam, ontosophiam, philosophiam primam, aut artem naturalem. Et huic operam nava, si nihil vis omittere, quod in te rectam efficiat perficiat & recognoscat rationem, & rectæ philosophiæ producat instrumentum. Nihil omittes, credo, nam ita generosus es, & proclivis ad virtutem, quæ semper sectatur perfectionem, quique semel divæ sapientiæ te dicasti, votum præsta integrum, in quo nihil deficiat. Victimam mutilam repudiat Numen. Non obstet rumor, quem dira spargit opinio, hanc esse errorum caussam, tumultuum originem, periculosam, obscuram, intricatam, horridam, insulsam, ineptam; experientiam testem. Ast periculosa opinio, obscura, intricata, horrida, insulsa, inepta; experientia testis. Prodite vos malitiosi, et improvidi ad judicium, evomitis mala, non dicitis. Quid fecit, quid commisit hæc sapientia? Audite, et diligentius, quæ dicentur, revolvite, adeste toti, mentem

tem purgate, ejicite ex hac deceptorem, diſcite ſapere. Magna eſt ſtultitia innocentem accuſare. Imputanda iſta ſunt diſcipulis, non diſciplinæ, homini, non arti. Proſtant ſcientiarum calamitates, ſpectantur quotidiè. Immoderata ingenia omnes invaſerunt crudeli & barbara audacia. Et hæc quam eſt ab illis mutata? Nunc mala, imò peſſima quævis ſuſpicio illam onerat, & admodum duriter. Oppreſſam videmus, & tanquam inutilem abjectam. Res magna auctoritate agitur. adſtat ſacer monitor, ne hanc amplius reſumant homines, ſine hac poſſe perveniri ad metam. Quæ injuſtitia? quod ab hominibus provenit, ex ſcientiis hauſtum eſſe dicitur. Verè Homerus Odyſſea prima:

> Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
> Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι.
> *Adſcribunt ſuperis homines mala, quum tamen ipſi*
> *Criminibus proprii ſibi talia damna crearint.*

Quæ Maximus Tyrius Philoſophus Platonicus diſſertatione ſua vigeſima quinta, ubi ad illud: Unde ſint mala, quum Deus bona faciat, reſpondet, eruditè explicavit. ſequar ejus verba, nam proba ſunt, & conſideratè compoſita. Quæ eſt ergò improbitatis hujus cauſſa? quis fons? quænam origo? an ex Æthiopia cum peſte? aut Babylone cum Xerxe? aut ex Macedonia cum Philippo? Non enim è cœlo, me Hercules, non è cœlo. exulat enim ibi invidia. Bonum è cœlo, mala verò à mundo. Ergo, ſi quædam in terris minus quam oportebat, ſint conſtituta, & aliquid admittatur ab arte alienum, cave, in cauſſa eſſe dicas artem, liberanda ab hâc culpâ illa eſt, & illorum corrigenda malitia aut negligentia, qui terminum modeſtiæ excedunt. Scientia omnis in ſe bona eſt, animus verò malus, qui illam commaculat, turbat, & pervertit. Tu

conſi-

confidenter illam, quam mox tibi commendavi, arripe, & rem, quam providè inchoasti, perfice. Crede, hanc tibi fore maxime utilem, nec sine hujus subsidio te unquam ad verum perventurum. Et ut te magis in hanc sententiam adducam, recitabo ego ejus virtutem, quæ multa est, & varia. Primò ad fundamentum te ducit omnis ratiocinationis & syllogismi, hoc est, ad axioma, *ens est*, in quod principium omnem conclusionem resolvere debes, & reducere, docetque hoc artificium, omnem multitudinem revocandam esse ad unitatem. Ita quoque te instruit de vero terminorum axiomatum & enunciatorum intellectu, & genuino sensu, & quomodo omnium rerum dignitas & perfectio sit dijudicanda; quomodo abstrahenda, & distinguenda sint illa, quæ in uno eodemque objecto sunt conjuncta, aut tantum formâ, aut re ipsâ distincta. Pari modo tibi arma largitur, ut contra otiosarum quarundam & excogitatarum distinctionum insultum te possis defendere, & adversarium retrudere, imò dejicere. Cautum quoque te efficit, ne te seducat distinctionum externa species, neque putes unamquamvis statim reale inferre discrimen. Ita rerum definitiones docet conficere, & tam proxima genera, quam differentias suppeditat, & dum congerere cupis qoddam cornucopiæ, ordinem tibi monstrat, totumque disponit, & dum scribis quoque aut disseris, parem navat tibi operam. Ast non tibi solum, sed & reliquis disciplinis inservit, subjecta siquidem illis rogata præscribit, et adsignat, constituit et discernit, atque ad invenienda illorum attributa viam monstrat, utque in multis inferioribus scientiis hæc explicentur, ordinem legitimum et uniformem, et ut convenienter digerantur. Omnes insuper disciplinas inter se unit, litesque dirimit ac tollit, et ut hujus ductu multa paucis complectar, liberat

berat te ab ignorantia, & veram magnamque tibi parit ſcientiam. Hanc ama et venerare, quæ te rectum efficit Philoſophum, et perficit:

LIBER II.

Caput I.

NUnc plenius hoc novo ſermone, quo totam rem abſolvam, de Philoſophia es informandus, & ne tibi, dum de una materia tam multum loquor, tædioſus fiam, aut odioſus, firmiter tibi imprime, philoſophiam ſcientiam eſſe, ſine qua ne minimam partem noſtræ vitæ benè tranſigere poſſumus. hanc ſi deſerimus, bonum illud, quod benigniter, & ad neceſſitatem nobis datum eſt, nefariè rejicimus. hæc omni tempore, & ubique requiritur. Examinemus omnem mortalium ætatem, felix hæc fuit, dum illam coluit, infelix ſine illa, fera & barbara, nec ulla hominum communio magis civilis, aut polita, quam ubi philoſophantur homines. confuſa verò quędam eſt, & intricata? inquiramus in cauſſam, & videbimus neglectam ibi fuiſſe Philoſophiam. in juſtum ordinem reponenda? advocanda illa eſt in conſilium, quæ ad petitionem parata ſuggerit, quod volunt, & liberaliter quidem, nam rem quoque præſtat ipſa vera ſapientia, quæ non ſolum docet, ſed etiam operatur quam diligentiſſimè.

Sed huic laudi repugnare videntur quædam, quæ ſcrupulum tibi injiciunt omni cura eximendum. Ponderoſus is eſt, & ejus valoris, qui non ita abſolutè poteſt reprehendi. Chriſtianus es, relligionem tuam vehementer, uti par eſt, æſtimas, & veneraris, fœdus illud animæ tuæ, quod cum Deo hæc pepigit. Sacram habes cautionem

primitus Colossensibus datam, circumspectum te debere esse & cautum, philosophiam seducere; accedunt ecclesiæ doctores venerandi, & sapientes, qui sanctum oraculum dilucidè explicant, & philosophum à Christiano sollicitè distinguunt. Tertullianus presbyter Carthaginensis, qui vicinus vixit divorum Apostolorum temporibus, vir omnium disciplinarum exactè peritus, & in arcanis litteris nulli secundus, in apologetico suo, quem adversus gentes scripsit ita disserit: Quid adeò simile Philosophus, & Christianus? Græciæ discipulus, & cœli? famæ negotiator, & vitæ? verborum & factorum operator? rerum ædificator, & destructor? amicus & inimicus erroris? veritatis interpolator, & expressor? furator ejus & custos antiquior omnibus nî fallor? & Aurelius Augustinus Hipponensium episcopus, homo ingenii ardentissimi, nec in theologia solùm, sed in philosophia quoque excellens, hanc adeò deprimit, ut libro tertio contra Academicos asserat, solum Christianismum veram esse philosophiam. Imo res acerbius acta, pronunciatum, philosophorum ingenia omni hæresi animam indere & vitam, philosophos hæreticorum esse patriarchas, uti ille, quem primò allegavi, Auctor libro adversus Hermogenem verbis fecit perspicuis, atque philosophiam Thebani, Spartiati & Argivi non sine caussa ejecerunt. Constat ergò, mala multa ab hac profluxisse.

Res gestæ ita sunt. historiæ credimus. Sed quid inde? an philosophiæ ideò renunciandum? si fieret, animum levem dicerem & sordidum, qui ultra non sapere cupit, quam ubi humi repunt ista verba. An culpandus ideò Deus est, averruncet is à me omnem blasphemiam, quum tam injuriosè de ejus majestate loquantur homines? an ideò relinquendus verus ille? quum tot fingantur, & fabri-

bricentur falsi ? an verus ejus prohibendus est cultus, quum tot sint infidi veneratores, & hypocritæ ? Recta ne ideò est accusanda religio, quum tot sint profani templi ingressores, quorum maxima parte totum est repletum? Recta philosophia, modesta illa, quamque heic præscribo, non adversatur religioni, nam intra circulum suum se continet. hæc proba est continentia, optima virtus, ob quã philosophus non solum laudatur, sed & Christianus. Verùm differunt hi duo valdè, dicis, audivi mox discrimen. Concedo, perversum philosophum, & bonum christiannm, qui dum aliquando à sua bonitate deficit, pejor est malo philosopho. Sic veram profiteris philosophiam solus christianus, si solummodò fides in mundo requireretur, non eruditio, semperque in templo vivendum esset, non etiam in Academia, inter artium atque scientiarum doctrinam, nec amplius ab homine regendus mundus. Sed excitat sectas, hæreses, & magna schismata, dicis porro, accusa improba hominum studia, illorumque imprudentiam. Cur tam libidinosè à vero aberrarunt tramite? cur suis cupiditatibus tantam concesserunt licentiam ? cur sobrius qui debuit esse fuit ebrius ? an vinum accusabis divinum illum potum? minimè. Et moverunt philosophi de sancta tua fide contentiones, scias velim, alios itidem philosophos easdem repressisse. Ita Marcion impetiit veritatem, Tertullianus confecit hostem; Celsus blasphemias evomuit in mundi servatorem, Origenes ex illis illustravit hujus gloriam ; Libanius idololatriam docuit, Chrysostomus verum Dei cultum; & Symmachus idem fecit, quod Libanius, Prudentius hunc confodit ; Valentinus opugnavit ecclesiam, Justinus, & Irenæus hanc defenderunt. Ejecerunt homines philosophiam ex sua civitate? malignè fecerunt. ejicienda sunt

insipientia, superbia, luxuries, strupra, adulteria, injustitia, & omnis mala concupiscentia. Non à philosophia proveniunt mala, sed ab imprudentia.

Cap. II.

VIdes, quam temera hominum sint judicia, & quam sinistrè dicta interpretentur, atque ad omnia detorquenda ingenia se comparent. sontes cum innocentibus pares illis sunt, quod unus commisit, omnibus id imputatur, injusti caussam & in se cogitur sumere justus. Collige, quantam philosophia per tot mundi ætates sustinuerit injuriam. Injuriosam vocarunt injuriosi, vitia illi affinxerunt fœdissima fœdissimi, & nulla majora ullibi reperire potuerunt, quam in hac ipsa. In consuetudinem abiit sermo unius diei, & quam unus tunc saltem reprehendit, nunc universus hominum cœtus accusat & contemnit, nec divinæ caussæ actores erubescunt hanc proscindere conviitiis. Omnes quicunque hoc faciunt, si rectam quæsivissent, mentemque suam abduxissent ab hoc pessimo negotio, sibi ipsis redditi ad meliorem facilè pervenissent sententiam. Cunctis, quæcunque ad rectam pertinent philosophiam, à longo tempore hæc superinducta est facies, commaculata & corrupta, & in hoc mundi senio conciliata illi gravitas, sanctaque veneratio, et veneranda meritò dicitur canities, modo hæc non ita larga et irridenda, nam ad pueritiam recidit, et mentis defectum. Inveterata opinio est, accusare philosophiam. Sed non omne verum quod antiquum. Mitius procedendum, beati sunt lenes. Aberro à via? non sum castigandus, quod errem; accidit enim hoc quotidiè à primo primi hominis lapsu humanitus, sed placidè sum informandus, ira disturbat, et fideliter deducendus in rectam. Sunt tanti homi-

hominum errores, qui ad veram pervenire cupiunt sapientiam? non percutiendi errantes ſunt, ſed inſtruendi. deſipiunt? non ſapientia vocanda ſtultitia, nam nondum tetigerunt metam. Spectamus multos homines, qui ad ſanctam tendunt civitatem, qui dum naturâ mali ſunt in itinere quoque corrumpuntur, an hanc ob cauſſam ſancta illa vocanda mala? neutiquam. Philoſophia fuit, eſt, & erit ſemper vera ſapientia, primum & præcipuum vitæ noſtrę condimentum, quo civitatis præſes, animæ curator, juſtitiæ patronus, corporis conſervator, doctrinæ antiſtes, & omnes illi, qui rectè cupiunt ratiocinari, neceſſariò utuntur. Perſpicacius loquar, nam forſan ex me vis cognoſcere, quid ſit philoſophia propriè, & in quo conſiſtat. Variè hæc definitur, ſed perfectè nequit, non enim hæc una eſt diſciplina, aut habitus. Antiqui multùm in producenda aliqua laborarunt, & tandem hanc confecerunt, videlicet, Philoſophiam eſſe nil aliud, niſi accuratam divinarum, & humanarum rerum ſcientiam, quam Maximus Tyrius, priori libro quoque à me adhibitus, diſſertatione ſua decima ſexta, qua de hoc, an ſecundum Homerum definita ſit in Philoſophia opinio, agit, conſignavit. Significarunt illi hanc eſſe quandam cognitionem, & illarum rerum, quæ extra nos cauſſas ſuas habent, cur ſint vel fiant, & illarum, quæ ut ſint vel fiant ex noſtro arbitrio, & poteſtate pendet, ex principiis, quæ per ſe nota ſunt, naturalis intellectus lumine collectam.

Sed nondum hæc adeò clara ſunt, ut ulteriori non indigeant interpretatione. Augebo ego illorum verborum mentem, & dilucidius de philoſophiæ natura dicam. Deum immiſcebo, nam hic eſſe debet in omnibus. Cognoſcenda ejus majeſtas & heic, uti ibi ſolet cognoſci, ubi

cœlestis nos informat revelatio. Non una Dei est cognitio. Una divina & spiritualis, altera humana aut naturalis. ex illa Theologia quædam facta, quam sacri constituunt libri, ex quibus illa depromitur, & confirmatur divini spiritus testimonio, ex hac vero nascitur quædam, quam natura universi suggerit, quam cœli enarrant, nam

ΟΥΡΑΝΟ ΑΝΟ ΟΥΡΑΝΟ ΚΑΘΟ ΑϹΤΡΑ ΑΝΟ
ΑϹΤΡΑ ΚΑΘΟ ΤΑΥΤΑ ΚΑΤΑΛΑΒΕ ΚΕ ΕΥΤΥΧΗϹ.

Cœlum est supra, cœlum est infra, astra supra, & astra infra, hæc comprehende, & prosperabere, sic dicunt Ægyptii, quam dies annunciat diei, & nox nocti quamque appello philosophiam, scientiam naturalem de Deo, & talem hujus cultum, quæ servus Dei fidelis & doctus Paulus in litteris suis, quas ad Romanos scripsit, manifesta esse in hominibus naturâ, docet, & simul asserit, occulta Dei à fundamentis mundi in creaturis per intellectum conspici, & virtutem ejus & divinitatem in æternùm. Quemadmodum ergò Deus secundum naturæ lumen extra sacram istam revelationem cognoscitur, & juxta naturæ legem quoque colitur, cujus rei veritas ampla valdè est, certa & evidens, ita quædam est disciplina, quæ hanc cognitionem, & hunc cultum hominibus proponit, & bono ordine imprimit. Ordo requiritur, nam tam magna hæc est, & diffusa. Adsis, precor, mecum toti rei sedulus observator. Primò hauritur hæc Dei cognitio ex illis rebus, quæ possunt videri, & conspici, datur itaque naturalis quædam ita nominata, quæ docet, & interpretatur corporum naturalium principia, affectiones & species, qua ratione philosophi ethnici ex rerum motu pervenerunt ad primum motorem. Deinde quum Deus non tantum ita sit cognoscendus, sed etiam colendus, mores consignat hæc disciplina, & virtutum aperit seminarium,

in quo prudentes fiant, & discant in hac vita naturæ viribus benè & beatè vivere. Denique quum nec naturalis illa, nec hæc moralis disciplina ritè possit agere, nisi à ratione humana dirigantur, hæcque corrupta sit, & ad errorem proclivis & facilis, addenda illa est, quæ hanc emendet, regat, atque ordinet, vocata ideò rationalis.

Hæc ergo philosophiam constituere, & his partibus illam absolvi, non inconveniens docet argumentum, sed certum, & ex ipsius rei medullis extractum. Quæcunque enim natura omnium, tam divinorum, quam humanorum (alia non dantur) in se habet, hæc comprehendit disciplina, hoc ordine, quem illa monstrat & docet, atque cui semper tam sine fraude, quam negligentia adhæret recta, & indubitata. Et in parte illa, quæ naturalis appellatur, ne aliquid omissum esse videatur, subtilius quod est, & in sublimiori locatum gradu, metaphysicorum meritò huc referemus doctrinam, quorum labor physici semper requirit scholam. Simili modò supplebunt moralem illa, quæ justitiam concernunt strictiorem tam erga Deum, quam homines, & clariorem, quæ socieratem regunt, & conservant, corpus hominum tuentur, sanitatem custodiunt, aut amissam restituunt, animum & linguam poliunt. nec minor cura rationali adhibebitur, quam mathesis exercebit & confirmabit. Patet nunc amplitudo philosophiæ, ejusque dignitas, quæ ubique observanda, nam in omni est loco. Hanc totam disce, Homo, ne quid tibi desit, quum te consulent homines Philosophum.

Cap. III.

DEfinivi philoſophiam, & illam diviſi, utrumque feci, uti benè exiſtimo, ex rei veritate, quæ ulterius ſe offert, & principia hujus philoſophiæ ſuggerit, & recommendat. Recta philoſophia recta illa habet, & ex quibus cœtera fluunt ejuſdem bonitatis. Sic benè conſulitur rebus, quando initia firma ſunt, & attacta, ipſis inſident quoque & inſunt. Faciamus periculum, feliciter ſuccedet id, quod conabimur. Mirum videtur eſſe, & novum, ingratum & contra vulgarem opinionem, hæc enarrare. Obſtabunt multi, ſed prudenter hoc declinandum erit obſtaculum. Placidè occurrendum furori, informanduſque leniter obmurmurator, qui ad cognoſcendam cauſam humaniter invitandus eſt, & ducendus. Res ſignificanda. Titubamus, vacillamus, et mox ſtabimus. Audivi ſic principia meæ philoſophiæ? inquies. Maximè audiviſti illa. Dubitandum eſt de omnibus, ſed ſemel tantum in tota tua vita, et ita pervenies ad rerum veritatem, quam unicè ſectaris Philoſophus. Dubitabis, non ut ſemper dubites, ſed ut hæc dubitatio te liberet ab omnibus illis, quæ à prima pueritia te circumſident, malis. Infantes naſcimur, et variè de rebus, quæ ſenſu poſſunt percipi, judicavimus. Non integrum tum rationis habuimus uſum, & immaturi fuimus judices. Dubitabis itaque, & contemplator tantum, de iis omnibus, in quibus vel minimam putas eſſe incertitudinem, hæcque & falſa eſſe exiſtimabis, ut eò apertius certiſſima omnia, & cognitioni pervia invenias. Dubitabis an aliquid, quod ſentire potes, et tibi imaginari, exiſtat, nec ſine ratione, nam ſenſus interdum errant, & imaginationes admodum ſunt fallaces. Dubitabis quoque de illis, quæ antea maximè

certa

certa esse judicabas, et ne te decipiant illa, quæ per se nota esse putabas, mathematicorum dubitationes quoque vocabis in dubium, quia vides, quosdam in his etiam errasse, & potentissimum quoddam esse numen, quod omnia potest. Ignoras enim an te hoc forsitan ita fecerit, ut semper fallaris, & in illis quoque, quorum notitiam tibi maximè acquisivisti claram et lucidam. Tam cautus esse potes sine injuria. Et finge, te esse à te ipso, vel à quodam alio minus potenti, eò magis credes, te esse imperfectum & fraudi subditum. Ne verò in errorem procidas ita dubius & incertus, divinitus contra hoc tibi datum est remedium, arbitrium liberum, & voluntas, ob quam te laudant homines, & vituperant. Duo enim in te sunt, quemadmodum in omnibus, quæ ad judicandum requiruntur, intelligere nempe, & velle. Voluntas ampla est, & multo major intellectu. Ab illa proveniunt errores, qui quidem non sunt in tua natura, sed in actione, quæ sæpius deficit. Nam quis unquam voluit falli? nemo sanè. Sed multi voluerunt assentiri iis, in quibus error latet, quam illi ignorarunt.

Hanc ob caussam penetrandum tibi est hac dubitatione ad interiora & primam rerum sedem, ibique omnia ita consideranda, ut clarè & distinctè illa percipias, hisque solis assentiaris. Nam ita nunquam falsum pro vero admittes. Deus verax est, qui te creavit, & facultas percipiendi, quam tibi indidit, verum amat, & assensus claritatem, quæque naturæ ita impressa sunt, ut quoties aliquid clarè percipis, ei assentiaris lubenter, & sine dubitatione. Clarè percepta te trahunt in assensum. qui, si credit non ita perceptis, te seducit, falleris, & erras ignorans errorem, aut casu incidis in veritatem. Quare rarò iis assentiri solent homines, quæ non

perceperunt, naturæ namque humanæ magnus eſt ſplendor, qui mentem illuſtrat, & docet de re incognita non eſſe judicandum. Opinio autem inveterata, & quæ tam mirè ſe ingenio hominum inſinuat, totam mentem occupat, & tanta dulcedine illam occœcat, ut hæc putet, ſe multa percepiſſe, quæ nunquam percepit, quibus aſſentitur, & certa, & vera eſſe nullo modo amplius dubitat. Accedit ignorantia illorum, quæ, ut omnia rectè percipiantur, requiruntur. Nil omittendum. Pervenies facile ad intelligendam rerum veritatem, ſi totam modò adhibueris viam. Putas ſufficere, clarum eſſe tuum intellectum, erras; nam diſtinctus quoque ille eſſe debet. Perpende hæc duo, pervenies felix ad veritatem. Clarus is eſſe debet & perſpicuus, utque menti, quæ attendit, præſens ſit, & apertus, integer, ſine ullo impedimento, aut fuco, ut percipiat purè & uti in ſe ſunt, quemadmodum oculus intuetur præſentia apertè, & fortiter. Diſtinctus quoque ſit, ut ab omnibus aliis ita ſejungatur, quò nihil, quam quod clarum eſt, in ſe contineat, cujus defectum ex prima noſtra ætate ad nos tranſire videmus ſæpius, ubi clarè multa, ſed non diſtinctè percepimus. Dubitandum itaque eſt, cauſſa in promtu.

Cap. IIII.

POſtquam ita de omnibus rebus dubitaſti, neceſſũ eſt, ut ſedulò inquiras, annon aliquid ſit in hoc univerſo, quod adeò certum, ut de illo minimè poſſit dubitari. Obſerva cognoſcendi ordinem, & à tui cognitione inchoa, nam ita decet, & hoc naturæ admodum eſt conſentaneum. Quid primò ſe intellectui offert? intellectus ipſe. Quid mens humana primò cognoſcit? ſanè ſuam actionem, & poſt hanc illud, circa quod illa verſatur. Cogitas, inquiris, dubitas,

tas, ergò es. & quamvis fallaris, & erres, attamen certum hoc manet, imò certiſſimum, te eſſe. Dubitas de certa omnium rerum exiſtentia, ſed de tua certiſſima non potes dubitare, & quò magis de aliis omnibus dubitas, eò de tui ipſius exiſtentia ſis certior. Sequuntur hæc certè, Nam fieri non poteſt, ut id quod cogitat, inquirit, dubitat, dum cogitat, inquirit, dubitat, non ſit. Atque hæc prima illa eſt veritas, qua rem aliquam eſſe firmiter, ſine hæſitatione, & invictè probatur. Nihil nunc habetur pro vero niſi certiſſimè demonſtratum, & cujus evidentia apertiſſima.

Sed annon poſſum concludere, eloquor, ambulo, video, ergò ſum? Hæc concluſio non eſt certa, nec abſoluta, aut vera, quia certa rei exiſtentia non poteſt inferri ex medio incerto, vel incertæ exiſtentiæ. Nam quia ſæpè non loqueris, non vides, nec linguam, nec pedes, nec oculos moves, dubitare de illis maximè poteſt. At dubitare planè nequis, an cogites dum inquiris, & dubitas, quia exiſtimans & dubitas te inquirere, cogitas. Hæc agis certè, qui certè exiſtis. Quid ergò certum, & verum, imò certiſſimum veriſſimumque? hoc, te cogitare, inquirere, dubitare, & te verè exiſtere. Hac de cauſſa philoſophus eximitur longiori dubitationi certiſſima hac inſtructus veritate, & ad certiores, verioreſque ſententias viam videt. Sic certus nunc maximè es de illo, quod exiſtas. progredere tali modo, melior non datur. inveniſti verum, utere illo. Inquire porrò, quis ſis? eſne homo? eſt ita. eſne animal rationale? maximè. Sed altioris ſunt indaginis examinare hæc tota, quæ difficultatem in ſe habent, & verſutarum quæſtionum progenerare ſolent magnum numerum, è quibus naſcuntur multa incommoda. Simplicius tu hanc teres viam, & quid ſpontè ſolâ natura indice

tibi obvenerit, consideratis. Præteritas advocabis cogitationes. Annon inquisivisti antehac, quid esses? quid inveniebas? caput, pectus, manus, brachia, pedes, totumque corpus, & quid ulterius? te nutriri, incedere, cogitare, animam in te esse, & varia tibi de hac imaginabaris. Revolve hæc tecum nunc diligentissimè, dubita de illis omnibus, & postea corpus & animam, ex quibus duobus tu homo es compositus, describe, atque illa, quæ forsan dubia manent, remove, hoc unum iterum videbis certissimum, te esse rem quandam, quæ cogitat. Sed excitatus nunc valdè es, vis plura cognoscere, imaginaris tibi rursus varia, quæ tamen ad te non pertinere facto illo examine facilè animadvertis. Rem ergò tentabis aliter, imaginationem tanquam incertum doctorem deseres, & illa tantùm curabis, quæ solo intellectu possunt percipi, ut eò distinctius naturam tuam addiscas. & quid sic addisces? te esse rem, quæ dubitat, intelligit, vult, renuit, affirmat, negat, imaginatur, sentit. Et ne iterum, quum novus adhuc sis in Philosophia, & negotio non asvetus, in hanc opinionem procidas, ac si illa, quæ sensibus percipere potes, melius cognoscas, fallaciam horum proba, multa enim sunt, quæ omnibus tuis sensibus posse percipi putas, quum tamen, si accuratius inquiras, à nullo percipiantur, sed solo intellectu. Hoc te cognosce. Sed quomodo te vocabo? jam nomen geres. vocabo te mentem. Scis nunc quid sis, & quid. Hæc tui cognitio fundamentum esto aliorum. Tende ulterius. Creatoris tui non obliviscere. ordine philosophare. Scala posita est, ascende ad illum, mente cognoscitur. Descende rursus, quum illum cognoveris, ad opera manuum ejus quæ sub ejus pedibus, maximum heic dabitur menti tuæ exercitium.

Cap. V.

VErùm ne existimes, nos solum sapere, atque hanc optimam viam ad indagandam, & obtinendam veritatem inuenisse, hocque novum quiddam esse, sed periculosum, durumque et difficile, longam oppugnare consuetudinem, duos magnos tibi producam viros, et, quum multi præter hos quoque hujus sententiæ fuerint patroni, eminentes. unus vetustus est, alter recens. Uterque celebris. Ille Aristoteles est, summus philosophus acutissimi ingenii, φιλοπονώτατος, εὑρετικώτατος, καὶ αἰτιολογικώτατος, & qui per tot secula norma doctrinæ, quanquam injustè, fuit & regula. Hic ipse vir tantæ auctoritatis non solum docet, sed etiam mandat dubitationem esse debere initium rectæ philosophiæ, veræque & indubitatæ scientiæ. Nos hac vice latinam interpretationem Bessarionis Cardinalis Niceni, & Patriarchæ Constantinopolitani sequemur. Locus in Aristotelis libro tertio Metaphysicorum habetur. Sed quid profitetur hic doctor? recitabo verba. Ad illam, quæ quæritur, scientiam necesse est, primum nos percurrere, de quibus primò est dubitandum. Hæc autem sunt, & quæcunque de iis aliter quidam existimarunt, & si quid ultra hæc prætermissum sit. Est autem operæ pretium, aliquid facultatis habere volentibus, benè dubitare: nam posterior facultas solutio est eorum, quæ ante dubitata fuerunt. Solvere autem non est, quum nodus ignoratur, sed intellectus hæsitatio manifestum hoc de re facit. Quatenus enim dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur; nam utroque modo impossibile est ad ulteriora procedere. Quare omnes primò difficultates speculari par est, et horum gratia, et propterea, quod illi quærunt, nisi primò dubitent, similes sint illis, qui, quonam ire opor-

teat, ignorant, & hæc, neque utrum invenerint, quod quæritur, an non, cognoſcere poſſunt. Finis etenim his quidem non eſt manifeſtus; illi autem, qui antea dubitavit, is pateſcit, et melius ſeſe habet ille, uti neceſſum eſt, ad judicandum qui tanquam adverſarios omnes utrinque rationes audit. Apertè ſatis loquitur Græcus, et firmiter ſententiam protulit, quam ipſo opere comprobavit, licet animo immoderato nonnunquã, qui ſibi interdum magis ſtuduit, quam rebus, quas unicè tractare debuiſſet. Sed illius ſententiæ veſtigia in variis libris, quos ille conſcripſit, conſpicimus, præcipuè autem in illius problematibus, in quibus nobile particularium dubitationum continetur exemplum, quæ non ſolum à poſteris ſemper laudanda, ſed & continuanda. Imò Franciſcus Patricius Philoſophus Romanus, quo viro nemo unquam Ariſtotelis volumina diligentius ac accuratius perlegit, in Diſcuſſionibus ſuis peripateticis libro undecimo tomi primi teſtatur, dubitationes, uti & adhuc quatuor, nempè propoſitionem, & expoſitionem rei, antiquarum opinionum, rationumque confutationem, dogmatum ſuorum conſtitutiones, & epilogos, quibus, acta commemoret, reperiri in omnibus ejus libris. Et quam probè coluerunt hanc doctrinam interpretes, fideliter illam adhibuerunt & conſervarunt tanquam rectam regulam perveniendi ad rerum veritatem. Quam ob rem allegantur inter Græcos Alexander Aphrodiſienſis, inter Arabes Avenroës magnus Commentator, inter Latinos Thomas Aquinas, Joannes Duns Scotus, Antonius Scainus Salodienſis quoque, Complutenſes, Conimbricenſes, Fonſeca, Ruvius, Maſius, Toletus, Paulus Sonzinatus, Javellus, Duvallius, qui omnes hanc viam ſunt ingreſſi. Vides ergò, non eſſe novam doctrinam, quæ mandet dubitandum prius eſſe de omni-

omnibus rebus, quam possint cognosci. & si sectatorum desideras numerum, habes heic magnum.

Indicavi tibi sic primum dubitationis philosophicæ autorem. sequitur nunc alter, qui hoc floruit seculo, meritò inter veros veræ philosophiæ restauratores numerandus, Renatus Cartesius, fatale planè ingenium, homo potentissimi ingenii, veræ & intermortuæ sapientiæ phosphorus, vindex & adsertor, qui intrepidè & post longam deliberationem omniumque rerum providum examen, dubitationem itidem philosophiæ suggerit indubitatum principium, quo ritè adhibito cætera felicissimè superstruuntur. Desideras & hujus scire imitatores, non caret discipulis doctor, sparsi sunt per orbem, res suas hoc modò tractant prudenter. Faciunt hoc Theologi, & illorũ sermo certus est & evidens, decenter compositus. Sequuntur hanc doctrinam Juris Consulti, stant inconcussi, verba ab imo usque ad summum diligenter sunt ordinata. Utuntur hac medici, & confidenter naturæ consulitur. Philosophare hoc modo, vetustus is est, & innovatus, veros sequere doctores, certi hi sunt, & qui omnia sedulò demonstrant. non solus es in hac via, sed multi tecum. Ast si videris alibi copiosiorem adversæ sententiæ scholam, cogita, pauciores bonos meliores esse perversâ multitudine.

Cap. VI. & Ult.

IDeò hæc dubitatio ita debet institui ut sit utilis. Non dubitas, ut dubites, sed ut ad certum & verum pertingas, ut philosophiam munias contra errores; nam magnæ est prudentiæ, illud quod non planè liquet, suspendere, ut post novũ examen & providam deliberationẽ judicetur. Semel dubitabis tantùm, ne ex una dubitatione oriatur alia, totaque admittatur, & quasi authentica, & omnia

incer-

incertis opinionibus repleantur, & de ſchola in ſcholam transvehanrur, unde contentioſi illi originem ducunt, qui hanc ſtirpem ſuam perpetuam facere volunt & validam. Sed contemplationis & acritatis intempeſtivè gloriam venantes retardant loquaciter & ſuperfluè dicentes, ſemper aliquid addubitantes non neceſſariorum, & requirentes demonſtrationes rerum, quæ iis non egent. Sic via brevis fit longa, ut ait Sophocles, non ſibi ſolùm, ſed aliis etiam. Dum enim apprehendunt in ſingulis rebus docentem, vanis & ſuperfluis interrogationibus veluti in trivio impediunt diſciplinæ curſum, quia ſic ſtationes quaſdam & remoras accipit. Iſti quidem ſecundum Hieronymum, peripateticum antiquiſſimum, ſunt veluti timidi ac guloſi canes, qui coria domi mordent & pilos vellicant, ipſas verò feras non attingunt. Tu dubita prudenter, & finem ſcito eſſe imponendam huic licentiæ. Satis hac vice tecum ſum locutus. Proximè, tractabimus ipſa rectæ philoſophiæ myſteria.

FINIS.



005644063

K